

Biogr. er. D  
15 49,53







# RECTOR

## ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad exequias

### FOEMINÆ

Florentissimæ & Præstantissimæ

## JOHANNÆ MARIÆ BOSIÆ,

Cives Academicos

invitat.

---

Ex Officina BAUCHIANA.



Biogr. erud.  
D. 1549, 53  
A-9

Hist. Erud. Jung. Bon - Bra



R E C T O R

ACADEMIAE LIPSIAENSIS

ad experias

FOEMINAE

Florentissimae & Praestantissimae

JOHANNAE MARIAE BOSIAE

Grave Academicorum

invitac.

Ex Officina BACHMANNI

65,30





# Quantumvis legena.

turæ descendentes supremum humanitatis officium ascendentes, quibus vitam hanc debuerunt, persolvere teneantur, ordine tamen mortalitatis turbato, multoties usu venit, ut ascendentes illud ipsum descendentibus persolvant. Sunt quidem, ex Patribus post diluvianis qui primum Haran obitu suo Patrem Thare volunt antevertisse, verum, si computationem annorum instituimus, etiam inter Antediluvianos Lamechum, Parente Mathusalemo adhuc inter vivos agente, rebus humanis exemptum fuisse, luculenter deprehendimus. Hanc ipsam ordinis inversionem, præsertim si liberi adhuc in ætatis vere constituti, & spem præclaram sustinentes ex oculis & complexu Parentum subtrahantur, insigni cum cordolio conjunctam esse, quilibet, ut idem habeat, haut difficulter adducetur. Multo acerbior adhuc *διχολομία* censetur, si Conjuges amabilissimi, & quidem *νεόγαμοι*, quos, ut amore suo recenti plenius & liberius fruere, divina Majestas olim tot privilegiis ornavit, maturius à se invicem per obitum partis alterius divellantur. Humanitus tamen ferant, quod humanitus contigit, æquum est, & dolori ex ejusmodi ruptura subito remedia potius quærant, Sanè si

151.407 x  
151.407 x  
151.407 x



piè defunctorum conditionem spectemus, non Glauco  
& Diomedis huius cum altera illa vita permutatio ve-  
nit aestimanda. Quid enim aliud est hæc vita, quàm ca-  
lamitatum concatenata series, quibus maximi minimi  
serius, aut citius implicantur? Vinculis autem ejusmo-  
di expediri, & in veram ab insultu malorum liberta-  
tem asseri, quid melius, quid in votis & optatis haben-  
dum præstantius? Quoties ærumnis huius vitæ premi-  
mur, votorum nostrorum meta, seu naufragis portus  
esse solet altera illa vita vicissitudinibus nullis obnoxia,  
nullo felicitatis modo determinata. Ecquis igitur piè  
in DOMINO defunctis hanc felicitatem invideat? quis  
non potius de illa carissimis suis ex animo gratuletur?  
Esto: voluptatibus etiam non paucis in hac vita quis  
circumfundatur, nulla tamen sincera voluptas, nihil ab  
omni parte beatum. Blandiator aliqua forsân à fronte,  
pœnitentiam tamen ut plurimum pedisse quam post se  
relinquit, & nullo dolore venit redimenda. Esto:  
iucundus sit Conjugum & Parentum conspectus, ac  
infinite modis iucundior erit S. S. Trinitatis conspe-  
ctus, cum à facie ad faciem (*πρὸς ὄπλον πρὸς πρὸς ὄ-  
πλον*) quem hic in speculo & ænigmate vidimus, con-  
templabimur. Angelorum beatitudo prædicatur à  
SALVATORE, quod semper videant faciem Patris cœ-  
lestis. Moïsis facies, cum saltem in symbolo DEUM vi-  
disset, ita radiabat ex conspectu isto, ut in eandem in-  
tueri

2. Cor. 13.  
Matth. 18.  
Ex. 32.



tuorum non possent, nisi velamento tegeretur, Israelitæ. 2. Cor 3.  
Sancti Seraphim ad conspectum hunc divinæ Maje- El. 6.  
statis facies suas velant, se velut indignos tanto con-  
spectu aestimantes, & ut quidam interpretantur, con- B. Hunnius.  
fusionem quasi facierum sibi tribuentes. Gratissima sit in Matt 6. 19  
cum sanguineis & amicis in hac vita conversatio: Infi-  
nitis modis dulcior & acceptior est conversatio cum  
summo illo bono, de quo SALVATOR pronunciat,  
quod nemo bonus sit, nisi DEUS unicus. At supersti- Matth 19.  
tibus tamen ejusmodi ruptura nimium quantum acer-  
ba contigit. Nisi redintegrari posset, forsan de quo con-  
quererentur haberent. Breve forsan interjectū Spaci-  
olum, cum non amissos, sed præmissos videbunt iterum  
æternæ felicitatis consortio iisdem jungendi, nec ullâ  
temporum intercapedine dissolvendi. Quid? quod  
carissimorum in ista vita plures invenient, quàm in hi-  
sce terrenis fecibus post se relinquant. Hanc medici-  
nam vulneribus super insperato, beatissimo tamen ex  
hujus mundi Sortibus abitu Foemina, dum in vivis  
erat, florentissimæ, corporis pariter & animæ dotibus  
insigniter exornatæ JOHANNÆ MARIÆ Viri  
Spectatissimi & Prudentissimi Dni. JOHANNIS ER-  
NESTI BOSII, Reip. patriæ Senatoris benè meren-  
tissimi, nec non Mercatoris famigeratissimi Conjugis  
desideratissimæ Dominus Maritus, Parens & quicumq;  
vel consanguinitatis, vel affinitatis vinculo Eidem jun-

A 3

Em



At fuerunt, inflicta sibi applicent. Non quidem est, ut reverta-  
tur in hanc malorum sentinam, nec, licet optio derur, id o-  
poret, sed erit cum lugentes aliquando, vocante DOMINO cum  
Eadem jam Beatissima jungantur. Res terrenas exosa jam con-  
spectu jucundissimo Sponsi & SALVATORIS sui fruitur, jam  
nectare & ambrosia coelesti saturatur, sinceraque voluptate nul-  
lis vicissitudinibus infuscatâ perfunditur. Hujus vitæ cursum,  
quem breviter, sed eleganter confecit, ut memoriæ velificemus  
posthumæ, breviter recitabimus, & in hac Synopsi ad exem-  
plum, cui se conforment morum elegantiorum studiosæ, pro-  
ponemus. Natam Hamburgi accepimus, in isto Germaniæ to-  
tius Emporio nobilissimo 16to Calend. Febr. anno 1638. Pa-  
rentibus hîc & isto in loco nominatissimis, Patre Viro Præstan-  
tissimo & solertissimo Dno. GEORGIO HEINTZIO,  
Mercatore Hamburgensi non iniæ cavæ, Matre Fœmina Virtu-  
tum & totius vitæ normâ commendatissima MARIA ELI-  
SABETHA, Viri Spectatissimi & Prudentissimi Dni. EDU-  
ARDI BECCERI, Reip. Lipsiensis Senatoris & Mercatoris  
celeberrimi, nec non Spectaminis sui sexûs JOHANNÆ  
GRÆVIÆ τῶν νῦν ἐν ἀγίοις filia. CHRISTO per baptismum  
ἐύσσωμⓄ facta Parentes in spem eximiam, quam ætate prove-  
ctor non tantum sustinuit, sed & vicit, erexit, fore, ut aliquando  
tum generi, tum sexui ornamento singulari, Parentibus gaudio  
& solatio certissimo sit futura, id quod ex pietate, moribus  
elegantibus, verecundia, morigeratione, reverentâ tam erga  
suos quàm alios mature collegerunt. Cum verò capa-  
citas ingenii non quotidiana in hac Virguncula elucesceret, ad  
διχοδομήν in suo Christianismo & vita communi legendi & scri-  
bendi exercitiis ante omnia voluerunt distentiam; postmodum  
ad virtutes hunc sexum decentes, inprimis Oeconomicas, sed  
currentem incitârunt. Id verè de Beatissima nostra, quod con-  
discipulas in arte acupictoria, textoria & aliis subtilibus manu-  
um



cum operationibus longo post se reliquerit intervallo, inque  
sua admirationem neminem non traxerit, sed præfiscini dici  
potest. Cum Domini Parentis jacturam Hamburgi anno 1650. ter-  
tio Cal. Julii fecisset, Matri dilectissimæ in viduitate sua non  
emolumento dumtaxat, sed & ornamento singulari fuit. Nec  
spes à Parentibus de Ipsa cum propemodum in cunis adhuc  
vagiret, concepta decollavit, sed deoptato completa fuit eventu.  
Postquam enim locum migrasset, & domicilium suum Lipsiam  
in patriam transtulisset optima Parens, ab omnibus in deliciis  
habita, quin & in oculis gesta fuit propter eximias gemmarum  
instar in Ipsa fulgescences virtutes. Commotus iisdem fuit Vir  
cum honoris præfatione dictus Dominus JOHANNES ER-  
NESTUS BOSIUS, ut Viro maturam hanc elegantissimam  
Virginem vitæ consortem sibi legeret: quippe quam in re Oe-  
conomica fidam adiutricem, dexterrimam liberorum ex priore  
matrimonio relictorū gubernatricem & morum formatricem  
spe præceperat. Præmissis itaque præmittendis, piis precibus  
& Consensu materno, Sponsalia per solemnitates Ecclesiasticas  
tertio Cal. Julii anni superioris feliciter fuere consummata. Fine  
suo, cur hanc amabilissimam Virginem sibi jugalem expetierit  
(quæ demum Uxoris summa laus est, cum id, cujus gratia du-  
citur, re ipsa præstet) se non excidisse, satis expertus fuit Maritus,  
nunc Viduus moestissimus. In vita quippe sua certissimum ad-  
jutorium, in adversis condimentum, Liberorum ex priore ma-  
trimonio non novercam, sed verè Matrem, familiæ suæ decus,  
verèque delictum suum senserat. Testes vocare possumus in-  
fidei prolixiores lachrymas, quas Maritus, Parens, liberi, co-  
gnati & agnati super hoc obitu immaturo certatim profundunt.  
Condescensum etiam cum quibusvis, præsertim conditionis  
inferioris, hominibus, in egenos liberalitatem & proximo in-  
serviendi studium tibiis, quod ajuat, apertis fama posthuma  
decan-



Decantat. Ut ut igitur, cui vitæ filium longius protraheretur, di-  
gnissima fuerat, D E O tamen suo exitio fuit, quàm quæ diutius  
in hac malorū colluvie, quâ purissimæ quæque mentes inquinari  
possunt, versaretur. Cùm enim hæcenus tulisset uterum, &  
quidem citra valetudinis jacturam, appropinquante partus  
tempore, proximo Martis die κεφαλαλγία quædam infestanti  
cœpit, quæ postmodum, licet remississet, αγγυπνίαν quædam  
post se traxit. Sequenti die, cùm viribus quasi redintegris, in-  
sultus suos repeteret dicta κεφαλαλγία & quidem vehementior,  
motus epileptici cum lipothymia conjuncti supervenerunt,  
mortis prodromi à Domino Marito, Matre dilecta & circum-  
stantibus judicati. Quantumvis autem declinante paroxysmo,  
divinâ gratiâ & diligenti Dominorum Medicorum curâ, par-  
tium secuturum persuasum habuerint, aliter tamen res cecidit,  
paroxysmo uno trudente alterum, & ita quidem, ut ad animæ  
curam confugiendum existimaverint. Efficacissimis itaque so-  
latis ab Ecclesiæ Ministris erecta ἡ μακαρίτις tam verbis, quàm gestibus  
suam in] CHRISTUM fidem testatam fecit. Præcipitante quidem die isto  
jam felix partus sperabatur, verùm non intermittentibus convulsionibus  
istis, fatum in utero matris extinctum ex signis non obscuris circa octa-  
vam istius dici fuit deprehensum. Ex quo, fractis magis magisque viribus,  
benedictionem Ecclesiasticam accepit, & paulò post inter preces adstan-  
tium fide in CHRISTI meritum nixa quod mortale habuit placidissè nobis  
reliquit, undevicenaria major trimestri spacio cùm septimanis circiter tri-  
bus. Dolenda quidem hæc est in ipso ætatis vere jactura, & spes superstiti-  
bus interversa, verùm cùm felicissima hæc permutatio τῆν οὖν ἐν αἰγίοις  
obtigerit, & consilia DEI adoranda, digito labellum compescamus, nec  
aliud præter istud καλῶς πάντα πεποίηκε circa hunc casum ingemine-  
mus. Cùm verò post auditam tertiam pomerid. dulces exuvia dormitorio  
suo sint inferendæ, nostros, ut fragilitatis humanæ memores & ad lenien-  
dum honoratissimæ familiæ dolorem, frequentes nobis  
cum in funus procedant, hisce jubemus.

P. P. V. to Non. Maji Anno  
M. D. C. LVII.







[Illegible text on a small white label]